



**I**VSTUS VELSIUS HAGANUS à pueris felicissimo ingenio fuit prædictus. Itaq; in patria operam literis dedit, & prima rudimenta facile percepit. Inde sese ad uarias academias cōtulit, atq; artibus & linguis, in primis uero Philosophiæ, tanto studio & successu incubuit, ut maximis philosophis per Germaniā connumeraretur. Hisce studijs quoq; Medicinā & Theologiam coniunxit, & Coloniæ Vbiorum inter professores suscepitus fuit. Cum autē in religione ab alijs dissentiret, ab eo loco dimissus aliquando per Germaniam exulauit, atq; Franckoforti cū Ioanne Caluino Theologo Geneuensi de libero arbitrio, & alijs religionis pūctis, publicè disputauit,

Quin etiam ad tempus Basileæ magna temperantia uixit, atq; suam doctrinā spargere desiderauit. Verūm & ibi dimissus, tandem certam habitationis sedē in Saxonia fixit, atq; omnifaria sua eruditione cūctis doctis innotuit. Scripsit is orationem, quod in Medico uariarū artium & scientiarum cognitio requiratur: Hippocratis de insomnijs librum transtulit: in Aristotelis librum de uitutibus, & in Cebetis tabulam commentaria edidit, atq; quædam Galeni latinitate donauit. Hoc modo factum, ut Iustus sibi magnum inter doctos nōmē compararit, atq; etiamnum in literis celebris agnoscatur. Con. Geff.